

MISCELLANEE
B
BIBLIOTECA NAZIONALE
VITTORIO EMANUELE
ROMA


G





ORATIO
R. P. F. NICOLAI LORINI FLORENTINI

SAC. ORD. PRAEDICATORVM,

In Romana Prouincia Lectoris, ac Prædicatoris generalis.


Habita in Cappella Summi Pont. Sixti Papæ Quinti.

In prima Dominica Aduentus Domini 1585:





Romæ, apud Hæredes Antonij Bladij Impressores Camerales 1586.



VPLEX, ſingularium virtutum ſtimulus hodierna die populo Chriſtiano proponitur (Pater Beatiſsime) vt quoniam hic non habemus Ciuitatem permanentem, ſed futuram inquirimus geminis alis ſuffulti timoris, & amoris ad Beatorum contubernium ex hoc miſerrimo exilio euolemus. Amor quaſi magnetis, tacita vi ad ſe ſe allicit, Timor a rebus abiectis, & caducis auocat, ad cęleſtes traducit. Duplici Dei aduentu animus excitatur; Nam quia ſic Deus dilexit mundum, vt filium ſuum vnigenitum daret, ad amorem eius incẽdimur, quia formidabilis nouiſſimi Iudicii memoria recenſetur, ita perhorreſcimus, vt tamen ad eius clementiam confugiamus. Nunquam enim gemina iuſtitiæ munia, declinando malum, bonumq; continuo ſectãdo ampleceremur; niſi timor, atque amor Dei iugiter nos ad vtrumque incitaret, Timorem incutit Chriſtus cum dicit; erunt ſigna in Sole, Luna, & Stellis & in terris preſſura gentium. Reuocat nos ad amorem diuinus Apoſtolus; Cum ſalutem noſtram viciniorem eſſe, quam cum credidimus aſſeuerat. Timorem ingerit tuba illa argentea Moyſis iuſſu fabrefacta; quæ terribili ſonitu Dei populum horribiliter vocabat ad pugnam Iudicii. Amorem altera ſuggerit, quę ad Tabernaculũ teſtimonii hoc eſt ad pręſepe Chriſti concitis greſſibus nos inuitare non deſiſtebat. Dormiremus vtinã inter medios cleros Dauide ſimul ſãctoBernardoq; hortãte terminos ſcilicet Incarnationis, ac iudicii ruminantes in cordibus noſtris quantum in priori præſtiterit, quantum promiſerit in ſecundo. Hi ſunt illi dies, de quibus locutus eſt Dominus dicens: Dies prima erit vobis ſancta atque ſolemnis, & dies ſeptima, eadem ſolemnitate venerabilis, nihil operis facietis in eis. Quid autem obſecro

Heb. 13. c
Ioan. 3. b
Luc. 21
Num. 10. a
Pſal. 67
D. Bern. Serm 4. in Aduentu.
Exo. 12. d

per has dies nisi Incarnationis, & iudicij sancti patres intellexerunt? O dies,& dies nouissima & prima, prima & nouissima veri amoris, sanctiq; timoris optimi genitores. Nonne desperationis totius aculeum prior, temeritatisq; vniuersæ speciem altera miro modo propulsat? Priorem diem exhibet Apostolus di-

Rom.13

cens: Nox processit dies autem appropinquauit; posteriorem Euangelista recenset, qui quāquam de die illa quonam temporis articulo sit euentura scire neminem asseueret; eam tamen omnino affuturam affir-

Luc.21

mat dicens. Et erunt signa,& tunc videbunt filium hominis venientem in nube cum potestate magna. Dies profecto verbum in carne positum, dies ipsemet in nube iudex aduenìens. Sicuti namque quædam diei portiones existunt quæ cum ab Aurora, ac vespero minime distent, instabilitate, ac varia vicissitudine refertæ sunt, quæ vero ipsi Meridianæ luci adhærent firmitatem non modicam nanciscuntur, ita et in Saluatore nostro natura illa quam a nobis assumpsit ęrumnis, ac varijs discriminibus fuit obnoxia, quam vero ad nos deportauit malorum omnium expertem fuisse nullus est qui ignoret. Dies verbum carne circundatum Bea-

In Sermo. Natiuita. Dei.

to etiam Fulgentio teste, qui dixit: Vnus quidem dies æternitatis simul pater, & filius a nobis agnoscitur, filius vero paulominus ab Angelis minoratus in die factus est hominum, qui coæternus, & coæqualis patri dies Sanctorū semper est angelorū. Iuxta illud Abraham exultauit vt videret diē meum vidit, & gauisus

Ioan.8.

est. At nullus etiam ignorat sedentem Christum in sede Maiestatis suę venientemq; in nube diem appellari. Diem tamen iræ, furoris, caliginis, vltionis, vindi-

Zac.14

ctę: Dies de qua dixit Propheta: & erit dies vna nota Domino, quę neque nox, neque dies erit; eo quia dierum omnium, ac noctium vicissitudines propulsa-

bat,

bat, postea quàm tempus vltra non erit. Verum enim- *Apoc. 10*
uero duo isti dies amoris, timorisq; præcipui parentes proprio gaudent Lucifero, Aurora, Indicio signis. Vtinamq; lucidissimi dies claram rutilantemque aurorã, tenebrosi vero obscurum, caligine, ac nimbis inuolutum matutinum vt plurimum sortiuntur, hoc eodem pacto, Incarnationis clarissimum diem lucida prophetarum oracula suaues Vatum diuinationes, ac fulgentissimi Gabrielis descensus, præcessit (fuit namque sancto Bernardo asserente quædam huius diei aurora, ex quo Sol iustitiæ per Gabrielem Arcangelum nunciatus est terris) ita vt meritò atq; optimo iure de ea attestetur Apostolus: Nox præcessit dies autẽ appropinquauit. Iudicij diem horribilis signorũ & pressurarũ vniuersitas, vti turbulẽtissimum gallicinum anteibit, dicente Domino: Erant signa in Sole, & Luna, & Stellis. Quocirca vt in vtrunque aduentum parati simus, par est vt timorem hunc & amorem amplectamur, vt hisce aptissimis alis ei occurramus qui modo aduenit vt agnus mansuetus, & aduenit, vt Leo terribilis. hisce stimulis omnes in rectam viam inducamus, amore filios, timore inimicos, illo bonos, hoc malos, illo fideles, hoc hæreticos concutiamus. Nam vt Dei præscripto in templi basibus species hominis, & Leonis figura erat expressa, ita hæc Ecclesiæ petra contra quam portę inferi non præualebunt amore & timore fulciatur. Hinc enim illa diuina vox in auribus nostris circũsonat, his autem fieri incipientibus respicite, & leuate capita vestra. Inde Apostolus inclamat, abiiciamus opera tenebrarum, & induamur arma lucis sicut in die honeste ambulemus. Quæ cum animo euolueret Beatus Ambrosius in illa verba prolapsus est. Annũciamus ergo vobis Regni cælestis gaudium, & minime corda vestra motu quodam alacritatis exultant, prædi-


S. Bern. in Cant. Ser. 33.

3. Reg. 7

Matt. 16. c

camus

S. Ambro. Serm. 80. camus triste iudicium; & sensus vestri ad pœnitentiam in lachrymas non prorumpunt; Infidelitatis ergo genus est in diuinis rebus nec gaudere prosperis, Luc. 7 nec flere contrariis cum vox Dei intonet: cantauimus vobis; & non saltastis, lamentauimus & non plorastis, quem enim non moueant vagientis paruuli lachrymæ ad amorem, plorat namq; ò Sponsa in præsepio Infans, plorat non sui, sed tui gratia, tua non sua crimina, tuam ingratitudinem tam sepe, tam frequenter, Iterum, iterumq; repetitam, & non vagiet? & non plorabit? Quem ergo non moueant, dicebam vagientis pueri lachrymæ ad amorem? Quem non perterrefaciat irati iudicis aspectus pertimescédus? Ideo vtraque vitę molam timoris scilicet & amoris ne à nobis seiúgamus, quia vitę subsidia ammittemus. Quod vt vitare deberemus monemur Deuteronomio; Non Deut. 24 accipies loco pignoris superiorē, & inferiorē molam, quia animam suam pauper apposui tibi. Lapide igitur timoris superbiæ statuam perfringamus, amoris igne Dan. 2. c altare cordis incendamus, sic fiet vt perfecta charitas 1. Ioan. 4 foras tandem mittat timorem. Amen.


BIBLIOTECA
6
13
1